









1723.

1. Giebel, Ich. En. Belnum: *De progressu literarum oligal-*  
*lsonis.*
2. Giebel, Ich. W. Belnum: *De notariis*
- 3<sup>o</sup>, 6. Giebel, Ich. En. Belnum: *De conceabitis circulatis.*
- 2 Decpl. 1723 - 1786.
4. Hahn, Linus Fridericus: *Observationes quaedam juris publici  
et privati aeri mores.*
5. Leyserus, Augustinus: *De iniuncta expectantissimum*
6. Leyserus, Polycarpus: *De primis iuriis formulariis scripti  
incunabulis.* 3 Decpl. 1723, 1732
7. Leyserus, Polycarpus: *Cognitio de fove academicarum  
promovendo in novitas condende studiorum universi-  
tatis ita exhibita.*
- 8<sup>o</sup>, b<sup>c</sup>. Leyserus, Polycarpus: *De pristinis certanis  
inspectione iuris iuris. 3 Decpl. 1723, 1733*



1723.

Dr. Trunus, Gottlieb Sam : Disquisitio optima legitimeque  
rationis componenti. Dissidia circa statum religiosis  
in Germanico imperio excitata. 2 Sept. 1750. 1756

10<sup>th</sup> Trunus, Gottlieb Samuel : De comitio corporis Evange.  
lici 1 Sept. 1723. 1741.

equo

756

JK.

11  
Ernst d.  
10<sup>o</sup>

11  
Ernst d.  
10<sup>o</sup>

H. iur. 3 num. 3

1723, 6

7

15  
P. 13

# DE PRIMIS JVRIS GERMA- NICI SCRIPTI INCVNABVLIS

DISSERIT

ET

AD PRAELECTIONES  
*IVRIDICAS*

CONSENTIENTE ILLVSTRI ANTECESSORVM  
ORDINE INSTITVENDAS

INVITAT

POLYCARPV S LEYSERV S

JVR. MED. ET PHILOS. D.  
POES. PROF. ORD.

---

*Helmstadt,*

Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.



DE

PRIMIS

MICROGRAPHIA  
INCANABALIS

DISSERTATI

AD TYPICORUM  
INRIDICANT

COMITINIA MUNICIPIA ET CIVICARUM

OPZGARIBZ FERREZ  
TUR MGD ET SITOS E.  
TOMOGRAPHIA

LIBRARY

UNIVERSITY LIBRARIES OF SACHSEN-ANHALT

STATE LIBRARY



Vris Civilis prudentia tribus in primis ini-  
nititur fundamentis: Naturae, Romano &  
Patrio iuri. Omnes fororio vinculo iun-  
ctae sint oportet. Judex solo naturae  
legibus instructus mallet abrogata omnia  
quorum nulla in ratione vestigia depre-  
henduntur, non attendens ad facta ho-  
minum adeo diversa & irrationalia saepe,  
ut pro societatis civilis facie diversae  
etiam & primo intuitu absoneae leges a  
prudenti Legumlatore sint condendae. Ius Romanum negligi  
nec potest nec debet. Pollet auctoritate publica quam infringere  
temere & mutare privati non est. Imo si Iurisconsultorum  
veterum Romanorum scripta sine legum vi ad nostra tempora  
servata fuissent, esset tamen cur illa legeremus ob variam & re-  
conditam in iure decidendi peritiam. Soli tamen Romano Iuri  
litantes, Prudentiae Iuris verae ex mutata rerum facie novam  
item legum faciem induentis adversantur. Romani itaque Iuris  
defectui succurrit Patrium Ius, quod superflua relict, abolenda  
abrogat, corrigenda immutat, supplenda addit.

Germania nostra, praeter communia quaedam iura, non  
potuit non, pro populorum & iurisdictionum diversitate, vari-  
as etiam omni tempore fovere leges. Antiquissimi Germaniae  
incolae iure non scripto, legibus paucis, usi fuerunt. Regum Fran-  
corum Caroli in primis Magni aeo scriptura leges exprimeban-

tur. Unde hodieque Salicae, Saxonum, Baioariorum, Alamanorum, Ripuariorum & caeterorum Leges collectae prostant. Non occupant illae quidem volumina illa, quae Legum & Iurisprudentiae noscendae studio evolvuntur & commendantur. Superfunt autem ex illis legibus in Germaniae variis consuetudinibus reliquiae, quae aliqua ratione a Schottelio sunt indicatae, quaque erudite explicari & dijudicari abeo non possunt, qui non notitia veterum legum est instructus.

Versatur autem Ius scriptum Germanicum vetus in primis circa delicta coercenda & processus five iudicii formam. De variis acquirendi modis, de contractibus & testamentis aliisque Romanorum iuris obiectis nihil ibi vel parum. Aliqua tamen Personarum erat distinctio. Non commemorabo Ecclesiasticos & Laios. Obtinebat praeter hanc inter illos alia quod ad libertatem & subiectionem. Alii enim erant liberi alii servi, unde M A N C I P I O R V M frequens in Legibus Germanorum antiquis iisque scriptis mentio. In liberis eminebant adhuc prae reliquis N O B I L E S. v. Lex Frisionum tit. 1. §. 2. 4. 10. 12. 14. Tit. 2. §. 2. 4. Tit. 9. §. 5. 6. Tit. 21. Quod vero H O M I N E S F R A N C I solos indicaverint Nobiles non crediderim cum C A R O L O D U F R E S N E. v. Lex Ripuariorum cap. 19. §. 3. Cap. 22. Pippini Regis Capitulare Compendiense an. 757. cap. 5. Lex Salica tit. 15. c. 2. cap. 3. Caroli M. Capitulare 3. an. 813. Acquisigrani datum cap. 2. Conf. cap. 16. 18. 19. 48. Nam & alii populi R I P V A R I I scilicet, B V R G V N D I O N E S & S A L I I hominibus propriis opponuntur. Siquidem Jura hodiernae Nobilitatis Immediatae Germanicae ab his temporibus arcessere voluerimus, facile patet, cui parti adiudicanda veniat praerogativa, de qua disceptant Nobiles Immediati & Civitates immediatae. Nobiles enim Comitum Jurisdictioni subjecti non erant, sed a suis Regibus solis sententiam exspectabant, Civitates vero querelas suas ad Comites deferre tenebantur, & ad eorum voluntatem regebantur. De nobilibus dicta colligo ex variis monumentis. v. Decretio Childeberti Regis data circa an. 595. cap. 8. Gregorius Turonensis Histor. lib. 10. c. 5. Caroli M. Capitulare 1. an. 802. cap. 31. Ejusdem Capitul. 4. an. 803. c. 5. Ej. capit. 2. an. 813. c. 12. Ludovici Pii Capit. 1. an. 819. Ejusdem Capit. an. 823. c. 6. 23. Ludovici Pii Capit. 1. an. 819. c. 13. Ejusdem Capit. an.

829. tit. 3. cap. 3. Capitulare Caroli Calvi apud Carisiacum datum an. 857.  
cap. 5. 6. Idem in alio Capitulari ibidem dato cap. 3. Non minus con-  
firmari possunt, quae de Civitatibus afferui. v. Gregorius Turonensis  
lib. 4. cap. 13. 30. 34. lib. 6. cap. 37. 38. lib. 4. cap. 36. lib. 6. c. 22. lib. 7.  
cap. 29. 31. lib. 8. cap. 5. 30. Annales Eginharti anno 806. 822. 824. 828.  
Nithardus lib. II. Author vitae Ludovici Pi cap. 1. Fredegarius circa fi-  
nem Chronici. Chronicon Moissiacense an. 817. secundum Blondellum in  
Genealogiae Francicæ pleniori Assertione pag. 139. Gregorius Turonensis  
lib. 6. Hist. cap. 41. Hinc manus Epistola I. a Io. Busaco edita cap. 3. Gan-  
dobaldus in praefatione ad leges Burgundionum.

Seligemus aliqua veteris Germanici iuris scripti capita. Ter-  
rae hoc iure utentes in Pagos erant distributae, quem morem Iu-  
lli etiam Caesaris tempore in Helvetiis obtinuisse constat. Pagi  
nomen a voce Bach derivat BEBELIVS. An satis feliciter dispi-  
ciant alii. Mihi derivatio videtur esse incongrua, cum vox latina  
pagus prius fuerit audita quam Germanorum Bach. Nec ratio de-  
rivationis ad pagos quadrat, quippe qui roris non terminabantur.  
Germani appellabant olim pagos Gou vel Gavv quod nolle ab  
Au ducere, ratione denominationis ad pagos non applicanda, sed  
potius vel a Suecorum & Gothorum veterum Gio vel a Graeco  
yaia, quod utrumque terram notat. Hinc Hartzgov, cuius pars  
forte & Helmstadium fuit, innuit terram Silvae Hercinia. Pa-  
gos omnes viginti quatuor villas habuisse recentiorum quorun-  
dam est conjectura, aut figmentum potius, ex Geographia medii  
aevi facile refutabile.

His pagis praefecti erant a Regibus Francorum & Imperatoribus  
administrandæ iustitiae gratia, iudices ciuiles, COMITES, Graviones  
& Pagenses dicti. Colligi hoc potest ex Legi Salicae Tituli LII.  
n. II. ubi mox Iudicis mox Grafionis mentio fit. Hinc vindex cri-  
minum Comes habetur in Ludovici Pi Capitulari Ingilenheimen-  
si Ann. DCCCCXXVI. Tit. IV. & V. Omnia clarissime hoc Co-  
mitum officium discitur ex Charta de ducatu, patritiatu, vel comita-  
tu, quae in MARCVLI Formularum Lib. I. n. VIII. extat. Hinc  
Leges & iura scire tenebantur Comites v. Caroli M. Capitulare III.  
anno 803. V. An. 803. cap. 19. l. inserti anni cap. 48. Capitulari, lib. 1.  
cap. 260. & lib. 6. cap. 290.

Comitibus iudicibus assidebant S CABINI nec a DEO nec a secumnum, nec a scatere, nec a Gallorum Eschevin, sed potius a Scheppen, curare, ordinare, ita dicti. Appellantur & RACHINBVRGII v. Lex Ripuariorum Tit. 32. §. 2. 3. Tit. 55. Lex Salica tit. 52. §. 2. Tit. 59. §. 1. Tit. 60. §. 1. 2. 4. Pippini Regis Capitula Synodi Vernensis an. 755. cap. 29. Ej. capitulare Metense cap. 9. Append. Formular. Marculfi I. Form. 4. 6. Non nisi bonae existimationis viris Scabinorum officium demandabatur v. Caroli M. Capitulare I. an 809. cap. 22. ita ut etiam, quibus mortis supplicium adiudicatum, & a Rege remissum esset, ab hoc munere excluderentur v.l.c. cap. 28. & 30.

Conventus Judicum MALLI vel PLACITI nomine veniebat v. Ludovici Pi<sup>i</sup> Capitulare Aquisgranense an. 819. cap. 14. Capitulare Caroli Calvi Carisiacense an. 873. cap. 12. Lex Alamannorum cap. 18. §. 5. cap. 36. §. 3. Lex Salica cap. 41. §. 2. Capitulare Caroli M. an. 803. cap. 29. Ej. Capitulare 6. an. 803. c. 2. & 5. Eiusdem concessio ad petitionem populi an. 803. Ludovici Pi<sup>i</sup> Capitulare an. 828.

Criminalibus in primis causis diiudicandis praeyerant Comites. Civiles enim, praefertim non magni momenti, Centenarii & Decurionibus decidenda relinquebantur.

Homicidium argento redimi poterat apud veteres Germanos imo singula fere crimina, quale quid de Cancellaria Apostolica Jureconfultus aliquis in scripto MDXVI. impresso observat aiens: multa conceduntur & statuuntur causa extorquendi pecunias indirekte. Item passim: Hoc regulae ponuntur ad terrorem pro exbursandia pecunii.

Ipsi latrones prima vice oculo privabantur secunda naso, tertia demum vita & capite. v. Capitulare dauum in Synodo, cui interfuit Bonifacius circa an. 744. cap. 22. Caroli M. Capitulare an. 779.

Poenae alioqui erant vel corporis vel honoris vel honorum. In poenis Corpori infictis fuit flagellatio, quam ipsi Judices, Scabini saltem, videntur administrasse, atque adeo carnificis officium expleuisse. v. Capitulare 2. Caroli M. an. 803, sive Capitula addita ad legem Salicam capit. 10. AMPVTATIONE MANVS puniebantur servi violatae diei dominicae rei v. Lex Baiuv. tit. 6. cap. 2. §. 3. in primis vero periri v. Caroli M. Capitulare I. an. 802. cap. 36. Eiusdem Capit. 5. an. 803. cap. 13. Capitulare 2. an. 803. cap. 11. it. eiusdem anni Capitul. 3. cap.

cap. 13. item eiusdem anni Capit. 4o cap. II. Cap. an. 808. cap. 4. Capit. 3. an. 813. cap. 30. Ludovici Pii Capitulare I. an. 819. Aquisgranum datum cap. 10. Falfarii quoque v. Caroli M. Capitulare 5. an. 803. cap. 13. & monetam adulterantes v. Capitulare datum circa an. 744. cap. 20. & Ludovici Pii Capitulare I. an. 819. cap. 19. Videtur & A M-  
PUTATIO PEDIS in poenis civilibus fuisse v. Caroli M. Capitulare 3. an.  
813. cap. 19. & quod singulare est CASTRATIO v. Lex Ripuario.  
rum cap. 58. leg. 17. Lex Salica cap. 42. leg. 4. Communior in Ca-  
pitalibus poenis erat CAPITIS amputatio gladio vel securi insti-  
tuta. Neque tamen prorsus exulabat VIVICOMBVRIVM. v. lib.  
6. Capitular. 384. Honori & existimationi infligebatur poena R.  
LEGATIONIS, qua afficiebantur, qui depradationibus terras ecclie-  
siasticas divexaverant. v. Caroli M. Capitulare 2. incerti anni cap. 9.  
item famosorum libellorum autores. v. Capitulare datum circa an.  
744. cap. 13. Conf. Capitular. lib. 7. cap. 200. Huc pertinet EXAV-  
CTORATIO ab officio, quae per verba Honorem suum perdere, amittere  
saepius indigitur v. Caroli M. Capitulare anni 779. cap. 9. Lex  
Longobard. lib. 3. leg. 7. cap. 1. Item Servitus repetita, qua afficieban-  
tur, qui servae matrimonio iungebantur v. Lex Ripuariorum cap.  
58. leg. 15. 16. Lex Salica tit. 14. cap. II.

BONIS omnibus privabantur Incestuosi v. Lex. Baiuvariorum  
tit. 6. cap. 1. 2. Item in Ius saepe vocati, nec tamen obedientes di-  
cto; v. Lex Salica cap. 59. Sacrilegi etiam, adulteri & alii atrociorum  
delictorum rei, v. Lib. 6. Capitular. 431. Quodsi Vasallis bo-  
na in primis feudalia adimerentur: Beneficium eos perdere vel amitt-  
tere dicebant v. Caroli M. Capitulare 2. an. 805. cap. 6. eiusdem anni  
Capitulare 3. cap. 8. ut & Capitulare 5. cap. 7. Ludovici Pii Capitulare  
Wormatiense an. 829. tit. 2. cap. 1. & Capitular. lib. 4. cap. 38. In  
aliquibus, criminibus in primis laesae Maiestatis, supplicii poenae  
bonorum Confiscatio, quam dicimus, iungebatur.

PECUNIARIAE poenae admodum erant olim frequentes  
Hinc in Legibus Ripuariorum, Alamannorum, Baiuvariorum & Sa-  
lica Indices exstant vasti delictorum variorum, argenticerta sum-  
ma redimendorum. Multa pecuniaria a fisco Regio vindicata  
BANNVM vel BANNVS dicebatur. v. Caroli M. Capitulare anni  
779. cap. 9. 19. Eiusdem Capitulatio de partibus Saxoniac an. 789. cap.  
26.

16. 25. 26. Idem in Capitulis additis ad legem Longobardorum an. 801.  
 Eiusdem Capitulare 2. an. 806. cap. 3. Capitulare Pippini Regis Italae  
 an. 793. cap. 27. Ludovici Pii Capitulare I. an. 819. cap. 9. 17. 18. Eius-  
 dem Capitulare Inglenheimense an. 826. cap. 1. & sexaginta solidos ra-  
 to superabat. Hic Bannus, regalis vel Dominicus appellatus, FRE-  
 D A etiam, FREDVS & FREDVM dicitur. v. Lex Ripuariorum cap.  
 46. leg. 1. Cap. 70. Lex Alamannorum tit. 4. §. 6. Tit. 32. Lex Baiu-  
 variorum Tit. 1. cap. 7. §. 4. Lex Salica tit. 14. cap. 5. Tit. 26. cap. 9.  
 conf. Lex. Alamannorum cap. 3. §. 3. Tit. 4. Tit. 31. §. 1. Tit. 36. §. 3.  
 Item Capitulare 2. Caroli M. an. 802. cap. 15. & Capitulare 3. an. 813.  
 cap. 16. 17. seqq. Quamvis fatear etiam duodecim solidorum mul-  
 etam cuius pars comiti aliisque iudicibus cedebat, Fredum appella-  
 ri. v. Decretio Chlothari II. Regis data circa an. 595. cap. 12. Lex Ri-  
 puaria cap. 88. Lex. Salica tit. 52. §. 2. Tit. 55. cap. 2. 4. 6. 8. Non  
 habens unde multam solveret, FIDEIVSSOREM dabat, quod  
 BANNVM vadiare, revvadiare dicebatur. v. Ludovicus Pius in Capit.  
 Wormat. an. 829. c. 1. Lex Longob. lib 3. tit. 1. c. 43. conf. Capitulare  
 Caroli Calvi tit. 46. cap. 1.

Auctoritate iudicis in ius vocati BANNITI ad mallum vel BAN-  
 NITI ad placitum dicti fuerunt. v. Caroli M. Capitulare 3. an. 803.  
 c. 20. Lotharii Imp. Capit. tit. 3. c. 3. Non comparentes multa-  
 bantur. v. Lex Alamannorum tit. 36. c. 4. Carolus M. Capitulari 4. an.  
 803. cap. 5. Eiusdem Capitulare 3. an. 813. cap. 38. cap. 41. Ludovici Pii  
 Capit. I. an. 819. Aquigrani datum c. 12. Vigebat & species Citatio-  
 nis MANNITIO dicta. v. Lex Salica cap. 47. §. 2. Carolus M. in lege  
 Longob. tit. 43. c. 2. Ludovici Pii Capitulare I. an. 819. c. 12. Caroli  
 Calvi Editum Pisense cap. 6. Privato vero consilio ita in ius vo-  
 cans testes adscisceret, & voluntatem suam vel adversario ipse vel  
 eius domesticis patefaciebat. v. Lex Salica tit. 1. cap. 3. Iudicio sepe  
 non fistens quindecim solidos multatae loco pendebat. v. Lex Ri-  
 puaria cap. 22. §. 1. Lex. Salica tit. 1. cap. 1. Repetebatur haec e-  
 vocatio aliquoties. Quodsi vero septima vice frustra erat instituta,  
 immisso siebat in bona, ita ut praeter multam cuique Scabino-  
 rum XV. auctori vero XLV. solidi inde redundarent. Impedire  
 poterat executionem huiusmodi reus, dummodo hasta armatus  
 portam domus occupasset, eamque ibidem reposuisset. Hoc ta-  
 men

men factio pollicebatur reus, se Regis sententiae omnem actionem  
commissurum, & pro causa sua gladio esse decertaturum. v. Lex  
Ripuariorum cap. 22. §. 3. 4.

Ordinariae in iudicio probationes per TESTES siebant. Eorum numerus ternario plerumque absolvebatur. v. Lex Baiuvariorum tit. 2. cap. 1. §. 2. Lex Alamann. cap. 42. §. 1. Lex Salica cap. 46. §. 1. Non admittebantur autem alii ad testimonium ferendum, nisi qui probatae essent fidei & probitatis. v. Carolus M. in Lege Longob. lib. 2. tit. 51. c. 7. Eiusdem Capit. 2. an. 803. c. II. Eiusdem Capitalare 3. an. 812. c. 3. Hinc prius in eorum vitam & famam in quirebatur, quam ad testandum susciperentur. v. Caroli M. Capit. 2. an. 805. c. II. & Cap. 3. anni eiusdem c. 13. it. cap. 4. an. eiusd. c. II. Et ne sic quidem omni habebantur exceptione maiores, docne iureiurando cavissent. v. Capitalare lib. 7. cap. 283. Lex Salica Cap. 48. Lex Baiuvariorum tit. II. cap. 6. §. 1. Jurabant autem matutino semper tempore, nondum vel pasti vel poti. v. Caroli M. Capitalare 2. an. 805. c. II. Conf. capit. 3. an. 805. c. 13. Cap. 4. ann. eiusd. c. II. Eiusdem Capit. 1. an 809. c. 16. Ejusd. Capital. 2. an. 809. c. 6. Bajorii non omnes admittebant testes, qui producti erant, ad jusjurandum, sed unum duntaxat forte selectum. v. Lex Baiuvariorum tit. 16. c. 5. Si ab utraque parte iurati starent testes, duello dubium solvebatur, ubi testis victus, perjurus habebatur & amputatione manus puniebatur. Reliqui ex vieti partibus mulcta pecuniaria manum redimebant. v. capitulare I. Ludovici Pii ann. 819. c. 10. conf. Lex Baiuvariorum tit. 16. c. 5. Huiusmodi etiam duello dirimebatur lis, ubi nonnisi unus testis reo fuisset obiectus. v. Lex Baiuvar. Tit. 2. cap. 1. §. 2. Ubi testes deficiebant reus iureiurando se purgabat, ita tamen ut pro causae magnitudine plures vel pauciores haberet socios iurantes: SACRAMENTALES, CONSA-CRAMENTALES, JVRATORES & CONIVRATORES dictos. v. Decretio Childeberti Regis data circa annum 595. c. 12. Lex Alamannorum tit. 6. c. 1. 5. 6. Tit. 53. Lex Baiuvariorum tit. I. c. 3. §. 1. 2. 3. Tit. 9. cap. 4. §. 4. Tit. 16. cap. 1. §. 2. Tit. 21. cap. 11. Lex Fristonum tit. I. c. 1. 2. 3. 4. Tit. 2. c. 1. Conf. Tit. 1. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 13. 14. Tit. 2. c. 1. Tit. 3. c. 1. Tit. 5. c. 5. Tit. II. c. 2. Tit. 14. c. 1. 2. 3. Actoris Juratores NOMINATI vel DENOMINATI, Reo vero coniurantes ADVOCAB

TI vel ELECTI appellabantur. v. *Pactus Childeberti & Chlotharit Regum circa an. 593. cap. 2. 5. Conf. cap. 8. Lex Alamann. cap. 6. §. 2. cap. 24. 28. 30. 53. 76. 77. 89.* Quomodo & quibus ritibus peracta sit huiusmodi jurisjurandi ceremonia ex ipsis Legis Alamannorum cap. 6. §. 7. verbis exponam: *Ista sacramenta debent esse iurata, ut illi coniuratores manus suas super capsam ponant; & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adiuvet, vel illae reliquiae ad illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa, unde interpellatus est, culpabilis non sit.* CAPSAM, cuius lex mentionem facit, esse Sanctarum Reliquiarum conditorum & receptaculum non ignorare possunt in medii aevi scriptoribus versati. CAPELLA etiam eiusmodi capsula salutatur. v. *Marculfus Formul. lib. 1. num. 38.* De caetero constat jusjurandum in templis saepe fuisse praestitum. v. *Caroli M. Capitulare 4. anno 803. cap. 57. Conf. Capitulare incerti anni, datum in synodo, cui Bonifacius interfuit, circa annum 744.*

Communior veritatem eruendi methodus erat ope JVDI-  
CIORVM DEI. Hinc DVELLIS finiebantur controvrsiae v. *Lex Alemanno. c. 44. §. 1. cap. 56. §. 1. cap. 84.* quae in campis fiebant. v. *Lex Frisonum Tit. II. Tit. 14. cap. 4.* Unde CAMPVS saepe pro Duello usurpatur v. *Caroli M. Capitulare 4. an. 803. c. 6. Charta divisiones regni Francorum inter filios Caroli M. an. 806. c. 14. Lex Anglorum & Werinorum tit. 7. cap. 4. 6. Tit. 14. & CAMPIONE, unde Germanis hodieque Kampf, pro dimicante eiusmodi. v. *Lex Bainvariorum Tit. 2. cap. 12. Tit. 8. cap. 2. §. 6. Tit. 9. cap. 4. §. 4. Tit. II. cap. 5. cap. 6. §. 1. Tit. 12. cap. 8. Cap. 9. §. 2. Tit. 15. cap. 11. §. 2. Tit. 16. cap. 2. 5.* Licebat autem alium in suum locum substituere, sive CAMPIONEM PRO SE DARE. v. *Lex Longob. lib. 1. tit. 10. cap. 3. Lib. 2. tit. 55. cap. 39.* qui interdum aere ad hoc negotium sollicitabatur. v. *lex Frisorum tit. 14. cap. 4.* Arma quibus dimicantes se invicem petebant, seque tutabantur, BACVLVS erant & SCVTVM. v. *Caroli M. capitulare 4. an. 803. cap. 3. capitulare I. Ludovici Pii an. 819. c. 10. capitular. lib. 4. cap. 29. conf. Leg. Longob. lib. 1. tit. 25. cap. 76. lib. 2. tit. 51. c. 10.* quamvis alia etiam arma postea fuisse adhibita constet. Alia exploratione, mediante scilicet A Q V A, incusationis veritatem aut falsitatem, eruere fatagebant. Instituebatur vel*

FRL

Quod ad FRIGIDAM, projiciebantur in eam accusati, atque ex supernatatione fontes iudicabantur. Ea tamen probatio reicitur a Legibus sapius v. Ludovici Pii Capitulare Wormatiense an. 829. tit. 2. cap. 12. lib. 2. Legum Longobardicar. tit. 55. c. 31. & in Additione 4. Capitular. c. 113. Ab hac diversum erat iudicium per aquam FERVIDAM, v. Lex Frisionum Tit. 3. cap. 6. Tit. 14. cap. 3. cui brachium immitebant accusati, & nisi salvam retraherent criminis rei habebantur. v. Speculum Saxonum art. 39. & Formulam consecrationis ejusmodi aquae. Et quoniam in aeneo vase igni super imposito bulliebat aqua, loquendi formulae exortae: AD AENEVM MALLARE, ADMALLARE, vel provocare, AD AENEVM F1DEM FACERE. v. Paetus Childeberti & Chlotharti Regum an. 593. cap. 4. Lex Salica cap. 55. §. 1. 7. Huiusmodi inquisitioni tamen SERVI potissimum videntur fuisse expositi. v. Lex Ripuariorum cap. 30. §. 1. Carolus M. in Append. Capit. lib. 4. cap. 34. Ludovici Pii Capitulare I. an. 829. cap. 1. Eiusdem Capitul. Wormatiense an. 829. tit. 3. cap. 1. Lex Frisionum tit. 3. c. 4. Lex Longobard. lib. 1. tit. 33. cap. 1.

Interim haec probatio potius ad igneas quam aqueas est referenda. Ab IGNE enim alia quoque ratione decisionem expectabant. Hinc Ferrum Candens tangebatur, imo Vomeres, quae probatio EXAMEN VOMERV M IGNITORVM dicebatur v. Lex Anglorum & Werinorum tit. 14. Caroli M. Capitulare 2. an. 803. c. 5. ubi: Si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

Ad iudicia huiusmodi extraordinaria, veritatis expiscandae gratia inuenta, pertinet etiam iudicium C RVC 18 v. Capitulare Pippini Regis data apud Vermeriam circa an. 752. c. 17. ubi: Si quam nlier seroclamauerit quod vir suus numquam cum ea mansisset, exeat inde ad erucem, & si verum fuerit, separentur, & ika faciat quod vult. Caroli M. Capitulare anni 779. cap. 10. ubi: De eo qui perixarium fecerit, nullam redemptionem det, nisi manum perdat. Quodsi accusator contendere voluntur de ipso perixario, stent ad crucem. Et si iurator vicerit, legem suam accusator emendet. Eiusdem Capitulare 4. an. 803. cap. 3. ubi: Si ille qui causam querit, duodecim hominum sacramenta recipere noluerit, aut cruce aut scuto & fuste contra eum decerter, item cap. 6. ubi: Si auctor veniret, & rem intertiamat recipere noluerit, campo vel cruce contendat.

Eiusdem Capitul. 1. an. 806. cap. 14. ubi: Si causa vel intentio sine controvèrsia talis inter partes propter terminos aut confinitia regnorum orta fuerit quae hominum testimonio declarari vel definiri non posse, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiae, iudicio crucis, Dei voluntas & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad examinationem indicetur. Charta divisionis Imperii inter Pipinum, Ludovicum & Carolum filios Caroli M., Imperatoris data Aquigran. an. 837. cap. 10. ubi: Si causa vel intentio & controvèrsia talis inter partes propter terminos aut confinitia regnorum orta fuerit quae hominum testimonio declarari vel definiri non posse, tunc volumus ut ad declarationem rei dubiae vexillo crucis Dei voluntas & rerum veritas ut inquiratur ne umquam pro tali causa cuiuslibet generis pugna vel campus ad exterminationem indicetur. Append. 2. lib. 4. Capitul. 34. ubi: Si aliquis Saxo hominem comprehendenter absque furto aut absque sua propria aliqua re, dicens quod illi habeat damnum factum, & hoc contendere voluerit in iudicio aut in campo aut ad cruce, licentiam habeat. postea abrogatum. v. Ludovici Pii Capitulare Aquigranense an. 816. cap. 27. ubi: Sanctum est nullus deinceps quamlibet examinationem crucis facere presumat; ne quae Christi passione glorificata est, cuiuslibet temeritate contempnui habeatur. Quibus vero ceremoniis peractum fuerit hoc iudicium definiri exacte satis non potest.

SORTE etiam dirimabant lites. v. Paetus Childeberti & Chlotarii Regum cap. 5. 6. 8. Decretio Chlotarti II. Regis data circa an. 595. cap. 6. 7. 8. Lex Ripuariorum cap. 31 §. 5. Singularis erat sortitio, duobus ligneis instituta frustulis, quorum unum cruce notatum si comprehenderetur innocentem declarabat homicidii reum. v. Lex Frisonum Tit. 14. c. I. 2.

Quamvis vero haec explorationes Fanaticae potius dicendae sint, quam Christianae, irrationalesque magis, quam ex prudenter legislatoria petitae, nihilominus JUDICIORVM DEI nomine gaudebant, fidemque eis derogantes in impietatis suspicionem adiudi ci facile poterant. v. Caroli M. Capitulare 1. an. 809. Aqui palatio datum cap. 20. ubi: Ut omnes iudicio dei credant absque dubitatione. Conf. cap. 28. Lex Baiuvariorum Tit. 2. cap. 1. §. 2. ubi: Si unus fuerit testis, & ille alter negaverit, tunc Dei accipient iudicium, excent in campo; Et cui Dens dederit viatoriam, illi credatur. Tit. 17. cap. 2. Cap. 10. 2. 2.

roli M. Capitulare Francofurtense an. 794. cap. 7. ubi: Definitum est etiam ab eodem Domino Rege sine a Sancta synodo ut Petrus Episcopus confessans coram Deo & angelis eius iuraret cum duobus aut tribus, sicut sacrationem suscepit, aut certe cum suo Archiepiscopo, quod ille in mortem Regis sine in regnum eius non consiliaisset, nec ei infidelis fuisset. Qui Episcopus, dum cum quibus iuraret non inuenisset, elegit sibi ipse ut suus homo ad Dei iudicium iret, & ille testareur absque reliquis & absque sanctis euangelii, solummodo coram Deo, quod ille innocens exinde esset, & secundum eius innocentiam Deus adiunaret illum suum hominem, qui ad illud iudicium exiturus erat. Et exiuit tamen eius homo ad iudicium Dei, neque per Regis ordinationem, neque per sanctas synodi censuram, sed spontanea voluntate. Qui etiam a Domino liberatus, idoneus exiuit. Clementia tamen Regis nostri praefato Episcopo gratiam suam contulit, & pristinis honoribus eum ditanuit, nec passus eum esse sine honore quem prospexit de composto crimine nihil male meruisse. Conf. Eiusd. Capitulare 3. an. 813. Aquigrani in generali populi convenitu dato cap. 46.

ADMINISTRATIO IUSTITIAE nullis ambagibus videtur fuisse obnoxia. Prohibebantur enim severe iudices, ne causarum decisiones in longum tempus protraherent. v. Capitular. lib. 3. cap. 53. ubi: Ut nullus quilibet Missus noster, neque Comes, neque Iudex, aut Scabineus cuiuslibet iustitiam dilatare praesumat, si statim adimpleta potuerit esse secundum rectitudinem, neque praemia pro hoc a quolibet homine per aliquod ingenium malum praesumat accipere. Conf. Leg. Longob. tit. 52. cap. 14.

SENTENTIA valida non erat nisi quae legibus scriptis esset conformis: v. Caroli M. Capitulare 1. an. 802. cap. 26. ubi: Ut iudices secundum scriptam legem iuste iudicent, non secundum arbitrium suum. Ludovici Pii Capitulare Wormatiense an. 829. tit. 6. cap. 2. Marculfi Formular. lib. 1. num. 8. in charta de comitatu. Idem lib. 1. num. 37. conf. Appendic. Formul. Marculfi num. 38. Vbi autem leges nihil definiebant, ex aequo & bono iudicabatur. v. Capitular. lib. 7. 451. IUD EX corruptioni obnoxius severo, imo capite, puniebatur v. Lex Ripuariorum cap. 88. ubi: Iubemus ut nullus optimatum, maior domus, domesticus, Comes, Grafio, Cancellarius, vel quibuslibet gradibus sublimatus, in provincia Riparia in indicto residens, munera ad indici-

um peruerendum non recipiat. Quodsi quis in hoc deprehensus fuerit, de vita componat. Caroli M. Capitulatio de partibus Saxonie cap. 28. Eiusd. Capitulare Aquisgran. an. 789. cap. 61. Capitulare I. an. 813. cap. 10. Capitular. lib. 4. cap. 64.

Non tamen in sententia Comitis vel Judicis acquiescebant semper partes, sed libertate APPELLANDI ad Regem fruebantur, v. Caroli M. Capitulare 4. an. 806. cap. 7. quae termino artis eo tempore RECLAMATIO dicebatur v. Pippini Regis Capitulare datum in Synodo Vernensi an. 855. cap. 30. Eiusdem Capitulare Metense cap. 10. Caroli M. Capitulatio de partibus Saxonie cap. 26. ubi: Ut nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo pro iustitia reclamandi aliquis praesumat. Et si aliquis hoc facere conanterit, nostrum bannum persoluet. Idem in Epist. 1. ad offam Regem Merciorum. Eiusdem Capitul. I. an. 802. cap. 1. Capitular. Lib. 3. cap. 7. ubi: De clamoribus vel causidicis qui nec iudicium Scabineorum adquiescere nec blasphemare volunt antiqua confuetudo seruetur, id est, ut in custodia recludantur donec usum e dubiis faciant. Et si ad palatium pro hac re clamauerint, & litteras detulerint, non quidem eis creditur, nec tamen in carcere ponantur; Sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutatur sicut dignum est. lib. 6. c. 274. Ludovici Pi<sup>i</sup> Capitulare an. 829. tit. 2. cap. 14. Caroli Calvi Capitulare Carissiacense an. 856. Eiusdem Edictum Pifsense an. 864. cap. 23. Eiusdem Capitulare datum apud Tisiacum an. 865. Eiusdem Capit. Pifsense an. 869. c. 7. In eiusdem adnuntiatione c. 2. Form. Bignoniana 18. Item BLASPHEMATIO v. Caroli M. Capitulare 2. an. 805. cap. 8. Capitul. 3 eiusd. anni c. 10. Cap. 4. Eiusd. anni c. 8. Extraordinarii etiam Judices, & quasi Visitatores temporarii MISSI dicti, constituebantur, qui de ratione administratae a Comitibus iustitiae dispiciebant. v. Caroli M. Capitulare I. an. 802. dat. Misericordia domin. cap. 1. Ludovici Pi<sup>i</sup> Capitulare an. 823. cap. 12. & 26. Item in Capitul. an. 848. Dicebantur procul dubio a Missione v. Caroli M. Capit. 1. an. 809. c. 36. Vnde & LEGATI paucim appellantur, v. Caroli M. Capitulare de villis suis Cap. 27. Hi, quoniam a summis Imperatoribus ablegabantur, nonnunquam appellantur MISSI DOMINICI v. Caroli M. Capitul. 4. an. 803. cap. 7. Eiusdem Capitulare de causis regni Italiae datum circa an. 793. cap. 5. Eiusdem Capitulare 3. an. 813. cap. 7. Capitular. Lib. 3. cap. 64. Ap-

pen-

) 15 (

pendix form. Marculf 9. Caroli M. Capitul. Saxonum datum Aquisgrāni an. 797. cap. 7. item MISSI REGII; v. Caroli Calvi Synodus Pīstensis an. 862. cap. 4. & cap. 25, vel MISSI REGALES; v. Capitulare Saxonum dat. Aquisgrāni an. 797. cap. 4. aut MISSI IMPERIALES; v. Caroli M. Capitulare I. an. 810. cap. 2. &, quia ex Aula Regia ablegabantur, MISSI PALATII; v. Imp. Ludovicus Capit. 5. an. 819. cap. 1. nec non MISSI DE PALATIO v. Caroli M. Capit. 4. incerti anni c. 13. Marculfus Formular. Lib. I. n. 20. Magnae erant hi Missi auctoritatis, & honorifice ubique suscipiebantur, aut saltem ex Dominorum suorum voluntate suscipi debebant. v. Caroli M. Capitulare I. incerti anni cap. 53. Charta divisionis Imperii inter Lotharium, Pippinum & Ludovicum filios Ludovici Pii Imp. cap. 8. Ludovici Pii Capitulare an. 823. cap. II. 16. Conf. Caroli M. Capitul. I. an. 802. cap. 28. Ita ut etiam hospitio fruerentur convictu, vectura, & aliis necessariis commoditatibus, nulla soluta pecunia. v. Caroli M. Capitulare I. an. 809. cap. 35. & Capit 2. dieti anni c. 15. de Villis suis c. 27. DISPENSAM vocabant hoc quicquid Missis hanc in rem erogabant. v. Ludovici Pii Capitul. 5. an. 819. c. 29. Capitul. Caroli Calvi datum apud Tusiacum an. 865. c. 16. Item CONIECTVM v. Ludovici Pii Capitulare 5. an. 819. c. 26. Capitul. Wormatiense an. 829. tit. 5. c. 1. In posterius allegato Capitulari totius vietus ratio sigillatim exponitur. Inde ergo de prompta verba tota adscribam: Volumus ut talem coniectum Missi nostri accipiant, quando per missatum suum perrexerint, hoc est ut unusquisque accipiat panes quadraginta, friskingas duas, porcellum aut agnum unum, pullos quatuor, ova viginti, de vino Sextarios novem, de cervisa modios duos, de annona modios nos. Non enim ab arbitrio Missorum eiusmodi eroganda pendebat, sed a Regum voluntate, certis literis TRACTORIIS declarata & comprehensa v. Caroli M. Capitul. an. 819. cap. 16. Ludovici Pii Capitul. 5. an. 819. cap. 26. Caroli Calvi Capitulare datum apud Tusiacum an. 865. cap. 16. Formula eiusmodi TRACTORIAE legitur in Marculfiana Collectione Lib. I. Form. XI. Scopus huius Missionis in primis iustitiae administratio & emendatio fuit v. Capit. Caroli Calvi tit. 9. cap. 7. tit. 45. c. 2. Hinc dicuntur missi ad JVSTITIAS FA CIENDAS, v. Caroli M. Capit. 4. an. 806. cap. 18. Ej. Cap. 4. an. 803. cap. 7. Ludovici Pii Capit. 5. an. 819. Caroli Calvi Capitul. apud Valentianas

in Adnuntiatione Domini Lotharii cap. 4. apud Tufiacum an 865. cap. 12.  
 ad JVSTITIAM EXEQVENDAM; v. Caroli M. Capit. I. an. 802.  
 item ad RECTAS JVSTICIAS TERMINANDAS, v. Judicium  
*Missonum pro Daniele Archiepiscopo Narbonensi adversus Milonem Comitem*  
*an. 783.* Adeoque quae secus admissa erant emendabant &  
 corrigebant. v. Caroli M. Praefatio Capitularis Aquisgranensis an. 789.  
*Eiusdem Capitulare 2. ann. 802. cap. 23. Eiusdem Capitulare 3. an.*  
*812. cap. 9. Eiusdem Capitulare 1. incerti anni cap. 59. Ludovici*  
*Pii Capitulare 5. an. 819. cap. 13. Eiusdem Cap. ann. 823. c. 26. 28.*  
*Eiusdem capitul. ann. 828. in Epistola quae generaliter populo Dei est le-*  
*genda. In primis vero pauperibus viduis & pupillis subveniebant.*  
*v. Caroli M. Capitulare 1. an. 802. cap. 1. Eiusdem Capitul. 4. an. 805. sive*  
*Capitula data lesse Episcopo Ambianensi Missi Dominico cap. 3. Eiusdem cap. 1.*  
*incerti anni c. 59. circa quas personas singularis fuit olim legibus*  
*stabilita cura. v. Caroli M. Capitulare Bajuvariorum datum an. 788.*  
*cap. 2. & Capitulare 2. an. 806. c. 2. Eiusdem Capitulare Saxonum an.*  
*797. c. 1. Eiusdem Capitula ad dicta ad legem Longobardor. an. 801.*  
*cap. 2. Capitulare 1. an. 802. cap. 5. 14. Eiusdem capit. 4. an. 806. c. 8.*  
*Ludovici Pii Capitulare 5. an. 819. c. 3. Eiusd. capit. 6. an. 819. c. 7.*  
*Eiusd. Capit. an. 823. c. 6. Eiusdem Capital. Wormald. an. 829. Tit. 2. c.*  
*14. Marcus Formul. Lib. 1. n. 8. Itaque Missi eo fere officio fun-*  
*gebantur in Provinciis, quibus COMITES PALATII in Aula Re-*  
*gia v. Caroli M. Capitulare 3. an. 812. cap. 2.*

Plura hanc in rem hac vice proferre nolo, nec quae ex ve-  
 teri illo Germanorum iure scripto hodie supersint reliquiae dis-  
 cuture. Praelectiones Iuridicae, quas consentiente ILLVSTRI  
 IVRICONSVLTORVM ORDINE faventibus COMMILITONI-  
 BVS OPTIMIS instituere animus est, uberiorem ostendent in ta-  
 lia inquirendi campum. Normam dicendorum habebimus IV-  
 STINIANI IMPERATOR IS nomen in frontispicio gerens  
 IVRIS CIVILIS COMPENDIVM, vulgo INSTITU-  
 TIONES nat' ἐξοχῆ dictum. Horam octavam matutinam stu-  
 dio huic dicavimus. Quibus itaque congruum videbitur, audi-  
 endo laboribus his manus ferre adiutrices, eos quibus decet studio &  
 affectu rogo, ut dicta hora adesse ne graventur, Helmaestadii

d. xiv. Octobr. MDCCXXXIII,

• 0 •





**ULB Halle**  
003 339 807

3



TA-OL





H.iur. 3 num. 3

1723, 6

7

15  
DE  
**PRIMIS**  
**JVRISGERMA-**  
**NICI SCRIPTI**  
**INCVNABVLIS**  
DISSERIT  
ET  
**AD PRAELECTIONES**  
**IVRIDICAS**  
CONSENTIENTE ILLVSTRI ANTECESSORVM  
ORDINE INSTITVENDAS  
INVITAT  
**POLYCARPV LEYSERVVS**  
JVR. MED. ET PHILOS. D.  
POES. PROF. ORD.

---

---

*HelmstadI,*

Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.



B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20  
Centimeters  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

